









1725

1. Goelick, Andr. Ottomarus : *De usu et abuso plebs.*  
*bonice in variolos.*
2. Trier, Iohannes Wolfgangus : *De conflicta iurium*  
1726  
*¶ Dithmarus, Iohannes Christopherus : De casal jutoribus*  
*Orationum equestrium ecclesiasticorum*
3. Hoffmannius, Christ. Gottfridus : *In nominatio et leui Crimis*  
niis sub tribus fieri debet? 2 Sept 1726 & 1736
4. Trier, Iohannes Wolfgangus : *De proportione servata in*  
*l. Mosaica de incesta.*

1727.

1. Goelick, Anders Ottomarus : *De cardialgia synoptica*  
1<sup>o</sup> Goelick, Anders Ottomar : *Epilepsiae convulsione singularium optime exponit.*
2. Heinoccius, Jo. Gottl. : *De P. Laurentio Celso.*
3. Heinoccius, Jo. Gottl. : *De iurisconsultis sens' doctis*  
caussisque, cur sum panes horie ad veram iuri' prae-  
dictae lantem perveniant?



1727

7. Haffmannus; Chrys. Gottfrid: De iure separandi  
alloctonum a fendo. 3 exempl. 1727, 1740 & 1743.

5. Haffmannus, Christianus Gottfrid: De donationsibus  
propter nuptias.

6. Haffmannus, Chrys. Gottfrid: De iure juri Nelsonis  
voluntariae ex principiis iuris Romani et usus  
Germaniae

7. Haffmannus, Christianus Gottfrid: De dissensu  
jurium in paucitate adulterii crimini. 2 exempl.  
1727 & 1740.

8. Ring, Graecus Wighard: De acquisitione obligacionis  
ex promissione alterius nomine nostro a tertio  
acceptata iuri nat. contraria.

9. Tricor, Johannes Wolfgang: De constitutis  
iure consueto ius positivis valentibus.



1747

5. Hoffmann Christian Gottlieb: *Urgere sprach  
allodium a fendo.* Leipzig 1727, 1770 & 1773

6. Hoffmann Christian Gottlieb: *Wissenschaft  
propheticae scripturae.*

7. Hoffmann Christian Gottlieb: *De intellectu prophetico  
relating to prophecies given by Daniel et alii  
prophetarum.*

8. Hoffmann Christian Gottlieb: *De visione  
prioris et posterioris futuris omnium. 2 Bandi  
1727 & 1770.*

9. Hoffmann Christian Gottlieb: *De agnitione obiecto  
et proximorum omnium ratione et modis a fide  
scripturarum prophetarum substantia.*

10. Hoffmann Christian Gottlieb: *Wissenschaft  
scripturarum prophetarum substantia.*

~~31.~~  
DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA  
DE

**USU ET ABUSU  
PHLEBOTOMIAE  
IN VARIOLIS,**

<sup>QUAM</sup>  
IN REGIA VIADRINA  
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICAE

<sup>CONSENSU</sup>

SUB PRAESIDIO  
RECTORIS MAGNIFICI  
DN. ANDR. OTTOMARI  
GOELICKE,

MED. D. EJUSDEMQUE FACULTATIS PROF. PUBL.  
ORD. h. t. DECANI,

PRAECEPTORIS ac PROMOTORIS SUI OMNI OBSER-  
*VANTIAE CULTU PROSEGUENDI.*

PRO GRADU DOCTORALI  
RITE CAPESSENDO

IN AUDITORIO MAJORI  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS


*Ad d. XIII. Octobris Ann. M. D. C. C. XXV.*

Publicae Philiatricorum disquisitioni  
subjicit

**GODOFREDUS BEHR,**  
Beescovensis Marchicus.

FRANCOFURTI eis VIADRUM, Litteris TOBIAE SCHWARTZII.





## Prooemium.

**Q**ui rationem humanam universae medicinae tam *theoreticae* quam *practicae* praesidem constituant, imo potiores illius, quam experientiae partes in ea esse contendunt, suas mihi rationes minus provide subduxisse videntur. Ut enim hac vice taceamus, rationem sibi relietam admodum fallacem, & judicium, quod medicus de rebus, quae agendae ipfi incumbunt, ferre debet, difficile esse: Permulti insuper errores illiq*u*; *practici* in medium produci haud difficulter possunt, quos sola ratio, fictionibus ac speculationibus suis nimirum indulgens, infelici sidere parturivit. Ex hoc fonte dubio procul profectum est, quod, Cels*o* referente, *Asclepiades* jam olim omnem

A vomi-

vomitoriorum & purgantium, in primis fortiorum, usum condemnaverit atque ex foro medico penitus proscripterit? Cujus deinde sententiam *Helmontius*, *Bontekoeus* aliique noviores, eodem rationis phantasmate delusi, coeco ad plausu amplexi sunt. Ex eodem plane fundamento profluxit, quod *plethora* à quibusdam recentiorum ex caussarum morbificarum censu fuerit expuncta: Quam tamen foecundam plurimorum morborum, haemorrhagiarum in primis adfectuumque congestiorum matrem esse, demonstrari facile posset, nisi extra oleas me esse evagatum, metuendum foret. Atque, ne plura alia praeter omnem sive necessitatem sive utilitatem exempla hic accumulemus, a Etum Venaefectionis adhuc allegari liceat, quam ab *Erasistrato*, *Paracelso* & *Helmontio* damnatam & tantum non ad orcum relegatam esse, norunt omnes. Sicuti vero manifestum est, ratiuncularum quarundam specie externa fascinatos fuisse praedictos Auctores, ut generoso remedio non sine summo artis medicae praejudicio repudium mitterent: Ita, si ad experientiae tribunal provocare velimus, innumeris plane exemplis pates-

patescet, quantum in praxi clinica utilitatem V. S. non *praeservatorio* tantum, sed & *curatorio* scopo suscep*ta* p*rae*fiterit; Ut hac vice silentio p*raet*eram, non paucos quoq;  
artis Pra*et*ico occurrere casus, in quibus ef*ficac*i hoc subsidio supersedere minime potest. Quanquam autem omnes ac singulos,  
peritos in primis rerum practicarum aestimatores de efficacia, utilitate ac necessitate  
V. S. in genere sufficienter convictos esse con*fid*am: Nolim tamen p*raefracte* negare, tales sistere se posse casus, in quibus rationali utique dubitationi locus est, an venam se*care*, vel eminenter *utile* vel *necessarium* sit?  
Exempli loco, integrum mihi sit, allegare *purpuram*, *variolas* aliasq; *exanthematicas febres*: Ubi omnium tantum non seculorum Medici principes concertarunt, an V. S. in illis locum habeat nec ne? Quae tamen controversia componi meo judicio haud aegre poterit, dummodo rationem cum experientia & hanc cum illa debite conjunxerit, & ad indolem subiecti, tempus morbi, aetatem, clima aliasque tales circumstantias rite attenderit artifex. Cum vero thema usque adeo nobile & ad praxin clinicam provide

instituendam tantopere necessarium, prolixiores deductiones mereatur, mihiq; ad honores Doctorales adspiranti, *Specimen inaugurale* edendum sit, veniam mihi dari peto, ut ejus rei periculum faciam, atque in usum pariter & abusum *V. Sionis in Variolis* paucis inquiram, sive normam quandam ac veluti cynosuram habeam, ad quam in commendando vel dissuadendo generoso hoc remedio in posterum componere me queam. Adnuat coeptis divina clementia, &, ut felicem ad finem perduci possint, gratiam viresque ex alto mihi elargiatur!

## §. I.

**N**on placet thema, cuius discussionem in me suscipio, mere problematice, sed *practico-clinice* tractare; Non enim *Scholae* tantum sed & potissimum *vitae* inservire debet. Idque tanto magis necessarium mihi videtur, quo certius est, *febres exanthematicas*, ad quarum censum *variolae* jure meritoque referuntur, tantam in vitas hominum stragem edere, ut in humiles aequa casulas plebeiorum, quam superba Principum palatias, suam exercere tyrannidem deprehendantur. Quod acerbissimum fatum haud ita pridem universa Hispania fuit experta, dum praematura morte *LUDOVICUS I.*, Hispaniarum & Indiarum Rex Augustissimus, Prin-

Princeps optimae spei populoque Hispanico gratissimus, ad patrios quippe illorum mores formatus & educatus in florentissima aetate, non sine ingenti Regis Catholici luctu, qui Ejus in gratiam Regno vastissimo sponte, nullius melancholiae vel alterius animi morbi vi compulsus, sese abdicaverat, variolarum saevitia viventium coetu eruptus est. Ut proinde, qui pro avertenda tot millium hominum strage salutaria adminicula eorundemque scientificam applicationem commendare novit, de universi generis humani salute non male mereri dicendus fit.

## §. II.

Nihil vero attinet, universam doctrinam de variolarum *indole & natura, differentiis, signis tam diagnosticis quam prognosticis* una cum *methodo medendi tam generali quam speciali* huc transcribere: Quod quippe, praeterquam quod inutiliter prolixitatem pareret, praesentem quoque scopum parum vel nihil feriret. Silento tamen praetereundum non est: I.) *Variolas esse species febrium acutarum simulque exanthematicarum, ubi natura seu principium agens, integrata corporis sui consulturum, beneficio motuum se & excretiorum, ultra gradum & proportionem ordinariam intensorum materialium variolaceam, fermentescibilem a centro ad circumferentiam promovere tandemque emovere contendit.* Id quod non tantum celeberrimi quivis omnium seculorum medici calculo suo probant, sed & symptomata, variolarum eruptionem tam antecedentia quam concomitantia manifeste evincunt.

A 3

§. III.

**Supponimus II.) Criticæ indolis esse hanc exan-**  
**tematum variolaceorum eruptionem:** Cum enim spon-  
 tanea illa corporis laßitudo, horror, dolor capitidis  
 atque lumborum, anxietas ac subinde vomitus cum  
 ingenti inquietudine, succedens deinde aestus, fitis,  
 pulsus celer, interdum etiam motus convulsivo-  
 epileptici aliaque symptomata post eruptionem va-  
 riolarum statim mitigentur; Nemo est, qui haec  
 omnia rite perpendens, nostram in sententiam non  
 sponte deducatur: E contra crisi fore imperfe-  
 ctam, inde periti Practici conjiciunt, si variolarum  
 excretionē facta, febris tamen cum reliquis sympto-  
 matibus non tantum nihil remittat, sed subinde no-  
 va capiat augmenta: Imo funestum & lethalem fo-  
 re eventum, inde haud obscure colligi licet, si meta-  
 stasi seu translatione materiae variolaceae aliorum  
 facta, viscera interiora inflammatione corripiantur,  
 quam non multo post gangraena & hanc tandem  
 sphacelus subsequitur. Et quid quaeſo variolarum  
 criticam naturam certius demonstrat, quam certa  
 illa dierum periodus, qua totus illarum recursus  
 circumscribitur, quoque, si regulariter succedant,  
 ad plenam sui solutionem pertendere consueverunt.

**Supponimus III.) Variolas esse vel regulares &**  
**benignas vel anomalas atque malignas;** Et illas quidem ut-  
 plurimum salutariter, has vero non raro letaliter terminari:  
 Quanquam enim variolæ in se spectatae, & aliunde  
 non

non turbatae, plerumque sat placide decurrant suaq;  
tempora absolvant, ut vel multum periculi vel dubii  
successus ex se & sua indole alere vix videantur:  
Observari tamen meretur, affectus hosce a caussis  
adventitiis facile turbidi quipiam admittere posse  
& solere: Ut prava subinde conjectaria in iis, qui  
variolis nuper laborarunt, haud raro relinquantur.

## S. V.

*Ultimum supponimus: Omnem medici curam  
in felici variolarum curatione in eo tantum consistere, ut  
naturam in excretionis negotio occupatam artificiali suo con-  
cursu minime turbet, erronee agentem in viam reducat &  
tergiversantem excite, juvet & efficiat, ut materiae vario-  
laceae expulsio à centro ad peripheriam justo ordine & suc-  
cessu promoveatur. Cum enim febris acutis accen-  
seantur variolae, atque per modum criseos prode-  
ant, medicum omnino decet, motus Naturae ad  
illam excretionem spectantes religiose potius obser-  
vare, quam intempestivis conaminibus turbare &  
intervertere.*

## S. VI.

Ad haec autem *praesupposita* attento semper  
animo respiciendum est, quotiescumque de admini-  
nistrastra *phlebotomia* quaestio movetur; Ubi tamen  
adhuc, priusquam Practicus artis affirmative vel *ne-  
gative* sepe determinet, disquisivisse juvabit: An VSIO  
in omni variolorum statu usque adeo necessaria  
sit, ut eandem omitti, nunquam liceat? An vero,  
si omissa forte fuerit, & sequior effectus observetur,  
omissae

omissae phlebotomiae in solidum is adscribi & vindicari debeat? An, si absolute necessaria non sit, eminentem saltem utilitatem praestet? Et, si hoc, an omni promiscue aetati, omnique subiecto, nullo ad pueras conjunctam respectu habitu, conveniat? Quo morbi tempore locum habeat? Et quia in regione corporis, superiori an inferiori administrasse eandem conducat? An omni variolarum speciei indiferenter sit adaequata? An omni quoque climati, calido pariter ac frigido sit adcommodata? Et quia tandem in quantitate sanguinem mittere conveniat? Quae circumstantiarum diversitas diversas quoque opiniones in animis medentium peperit, ut, quod nonnulli ceu necessarium vel utile commendarunt, alii ceu supervacuum vel plane noxiun condemnaverint.

## §. VII.

Qui *phlebotomiam* in Variolis commandant, ipsam naturam ducem sequi videntur; Quae quippe haemorrhagias narium spontaneas easque saepe fatis largas, & quidem versus eruptionis tempus contingentes vel in ipsam plane eruptionem incidentes, suscitando, variolosos a plerisque alias metuendis incommodis vel damnis efficaciter non modo praeservat, sed &, quod innumeris variolosorum exemplis edocemur, haemorrhagia talis spontanea variolarum eruptionem longe faciliorem & expeditiorem reddere solet. Oportet vero largiorem esse: atque continuo & nunquam interrupto succedere; Nam si motus naturae fuerint incompleti, & aliquot tantum

tantum sanguinis guttulae, idque adhuc per intervalla, stillitent ex naribus, res periculi plena est, atque subinde haemoptysis vel plane vomitus aut mictus cruentus cum pernicie aegrotantis subsequitur. Quare tali in casu non inconsultum erit, naturae laboranti tempestiva venae sectione succurrere. Notabilem ejus rei casum referunt Ephemerides N. C. Dec. i. Obs. LV. de puella 12. annorum, in qua post praecedentia deliria, variolae tandem quidem erupere, sed *parvam*, & subinde iterum evanescentes. Medicus vero, observans, delirium tanta vehementia recrudescere, ut maniacal ipsi videretur, guttulas quasdam sanguinis ex naribus stillitare animadvertisit, ex qua naturae inclinatione, potissimum cum puella paullo quietior redita esset, collegit, moliri eandem haemorrhagiam quandam, hisque vestigiis insistens V.S. suscit, cui etiam consilio, etiamque & aetas & constitutio tenella obstat videbantur, annuerunt tamen Parentes, proindeque cephalica dextrae fuit aperta, ex qua, postquam sanguis magno cum impetu profiliuerat, status aegrotae non modo pacatior factus, sed & reliqua malignitatis colluvies cum quotidiano levaminis incremento expulsa est.

## §. VIII.

Laudant alii VSionem in variolis, quando vel solito tardius vel inordinatus efflorescunt, vel, postquam efflorueret, retrocessionem comminuantur, sperantes, fore, ut, detracta aliqua sanguinis quantitate, longe facilius & ordinatus sint eruptriae.

B

Que-

Quemadmodum vero tardior eruptio ipsius materiae variolaceae cruditatem, inordinatior excretio vel totalis retrocessio ipsius naturae debilitatem, tergiversationem & inconstantiam in agendoclare demonstrat: Ita pari felicitate VS. hoc scopo suscepta non semper succedit.

## §. IX.

Ex Graecis *Aetius* eam potissimum ob rationem suavit phlebotomiam, quia detracta aliqua sanguinis quantitate, sicque natura oneris parte levata, felicius credit, corporis peripheriam transpiraturam meliusque successuram materiae variolaceam expulsionem: Quia non injuste metuit, ne natura, nimia sanguinis mole oppressa vel segnius excretio-  
nis negotium moliatur, vel (ob periphericam habi-  
tus corporis constrictiōnē) nihil prorsus vel par-  
tem saltem materiae ad superficiem corporis aman-  
der: Unde periculum est, ne intus retenta in visce-  
ra nobiliora graffetur iisque corruptionem commi-  
netur; Quod non omnino vanum esse, frequenti  
experiencia discimus.

## §. X.

Ulterius progreduuntur alii, atque ex VS. non solum felicem variolarum efflorescentiam sibi praestolantur, sed &, sedato post ejusdem administratio-  
nem, sanguinis humorumque orgasmō, reliquum melius subigi, five, vererum phrasī, coqui & in optimum pus converti posse, sibi persuadent. Rationem hanc multipli experientia suffultam & confirmata-  
tam esse, Practicorum non pauci adfirmant.

## §. XI.

## §. XI.

In eo vero mirabilem plerorumque Practicorum consensum animadverto, quod in statu eminenter plethorico variolis complicato Venaesectio, si non absolute necessaria sit, minimum tamen insigni utilitate sua non destituatur: Quia, parte sanguinis evacuata, sique impedimento, quod felicem & facilem variolarum eruptionem morabatur, sublato, reliquum expeditius se & excerni posse, haud vane sibi persuadent. *Stabulum* irreproubarem ejus rei testem ciramus. Is enim, et si practicam illam observationem, quod nimirum variolae tergiversantes, post sanguinis missionem, citius & alacrius exiisse visae, & reliquo sui decursu ad votum fessus observatae sint, non omnino contemnat: Monet tamen prudenter & practice, necesse omnino esse, ut *disiunctio illa fundamentalis*, quid affectui in se ipso, & quid peculiari illi, non solum evidenti, sed quam maxime etiam eminenti circumstantiae pleniorae per individua debeat, ad animum revocetur? Ad evitandam scil. fatalem illam confusionem, quasi talis evacuatio affectui tali in se, & consequenter semper & ubiq;, non tam solum conveniret, quam utilissima imo necessaria, nendum ulli incommodo propior & facile obnoxia esset. Coeterum persuasissimum sibi habet, V. S. ne quidem in adultis (nendum pueris) nisi eminenti plane pleniora conspicuis, unquam necessariam esse.

## §. XII.

Urgentissima omnium ratio, quae, ut V. S. variolosis decerneretur, Practicos commovit, est gravissimorum

vissimorum praesensque periculum minitantium symptomatum concursus. Ponamus enim, occurrere aegrum variolis laborantem, qui non modo de summa pectoris oppressione, quam ex spirandi difficultate colligi facile licet, sed & de doloribus lateris punctoriis conqueratur, in quo praeter convulsiones, torturam oris & stridorem dentium vehementissimum, angina ac febris plane inflammatoria observetur: Nemo forte fuerit, qui phlebotomiae administrationem utroque pollice non adprobaverit. *Baglivus*, medicus Italus, quotienscumque sanguinem nimium fervore & cum imperu caput petere, inflammacionesque partium cum deliris immitere observavit, totiens ad V.S. citato statim pede progressus est. Imo, variolis circa diem quartum jam jam erumpentibus caputque magno cum calore, anxietate & moribus tendinum subsultatoriis impententibus, cucurbitas scarificatas se apulis admovendas impetravit, sancteque testatur, se momento fere, facta quasi furentis sanguinis revulsione, praedicta symptomata suffocata ac paulo post variolas feliciter prodiisse, non sine gaudio conspectasse.

## §. XIII.

Ex adverso non pauci Practicorum, in primis Germanorum prioribus plane contrarii sunt, atque phlebotomiam in variolis non modo ceu iniuriam palam adsperrnantur, sed & ceu damnosam condemnant, metuentes, ne vel nimiam virium dejectionem, vel transpirationis intempestivam suppressionem vel plane materiae variolacae regressum.

versus

versus interiora, aliaque damna & incommoda post  
se relinquat.

## §. XIV.

Quanquam autem rationes adlatae ejus pon-  
deris ac momenti non sint, ut cordatiorem Practi-  
cum, habita in primis reliquarum circumstantiarum  
rationali ratione, ab administratione V.S. in variolis  
detergere possint vel debeant: Sunt tamen alii hoc  
in negotio usque adeo scrupulosi, ut patientes fa-  
tis suis absolute relinquere, quam generosum re-  
medium experiri malint. Quod enim nonnulli me-  
tuant, ne V.S. motus sanguinis nimium imminua-  
tur naturaque debilitetur, ut materiam variolaceam  
debito deinde vigore expellere nequeat, vanum est  
& ratione solida destitutum: Longe enim probabilius  
& historiae plethorae convenientius est, nimia san-  
guinis quantitate vires quasi obrui & hoc modo effi-  
caciter impediri, quo minus excretionis peripheriae  
negotium debito tempore, vigore & alacritate succe-  
dere queat. Neque latere quenquam potest, tantum  
abesse, ut vena secta habitus corporis constringatur,  
ut porius in subjectis plethoriciis ad liberiorem dia-  
phoresin disponatur. Unde simul dispalescit, expe-  
rientialiae solidae suffragio destitui, qui in omni vario-  
larum specie regressum earundem metuit, nisi  
forte anomalas & malignas, populariter grassantes  
exipere inde velimus.

## §. XV.

Alii ad climatum diversitatem potissimum re-  
spicientes, nec utilem nec necessariam esse credunt

B 3

phlebo-

phlebotomiam in variolis. Nihil enim, inquit,  
*Ettmullerus*, prodest, imo potius naturae motum tur-  
bando, multum nocere valet. Concedit tamen, in  
principio, ubi nulla adhuc de variolis suspicio est,  
in adultis plethoricas & habitioribus, phrenitidis in-  
diciis sece prodentibus, apertio nem venae tantopere  
reformidandam non esse. Quam primum vero ex-  
anthemata emicare & hic illic adparere incipiunt,  
periculosisimum imo lethale chirurgicum hoc ten-  
tamen esse judicat. Huic totidem propemodum  
verbis adstipulatur *Rofscius*, in eo tamen ab *Ettmül-*  
<sub>ero</sub> abiens, quod, licet nostro in climate periculosam  
esse credat venae sectionem, alii tamen in regioni-  
bus tam ante quam post pustularum eruptionem,  
salutarem eam esse posse, liberaliter concedat, exem-  
pto tamen apud nos non facile imitando.

### S. XVI.

Ex Anglis *Sydenhamium*, diligentissimum alias  
epidemicarum constitutionum & variolarum, quae  
sub illis grassatae sunt, observatorem ac descripto-  
rem, ideo tantum in medium produco, ut paria  
eundem cum Germanis hoc in possu sentire, iisdem  
que propemodum armis contra V. Sionis usum de-  
certare,clare patescat. Utitur vero is tali ratioci-  
nio: Periculosum esse, coeptam humorum ebulli-  
tionem (ad despumationem rite ac plene absolven-  
dam) missione sanguinis imminuere: Quia hoc  
paecto commoda partium separabilium secrecio plu-  
rimum impediretur ac subduceretur, quod coeptae  
secretioni pabulum quasi continenter subministraret:  
Unde

Unde saepenumero contigisse suspicatur, quod variolae, quae laudabili primum successu erupisse visaे sunt, paullo post ex improviso repercussae deruinerint, idque ob eam potissimum caussam, quod materia defecerit, quae a rergo quasi praeceuntem insequeretur agmenque clauderet. Sydenhammo ex Germanis adstipulatur Hoffmannus, qui in variolis, quae Halis Magdeburgicis epidemice grassatae sunt, quarumque historiam in disputatione, quam hac de materia conscripsit, tradit, V. S. neque ad praeervationem, neque ed curationem satis utilem atque proficuum esse, observavit.

## §. XVII.

Atque his potissimum rationibus, tam qui misfioni sangvinis in variolis favent, quam qui animum ab ea plane alienum fovent, nituntur. Prius vero, quam sententiam nostram *de usu & abusu pblebotomiae in variolis* plenius ac planius declaremus, consultum judicamus, circumstantias superius levi digito tactas ad accurarius examen revocare: Unde quippe totius Problematis solidior solutio dependet.

## §. XVIII.

Primum itaque disquiri meretur: Utrum *pblebotomia* in Variolis usque adeo necessaria sit, ut ulla in casu omitti nunquam possit vel debeat, & si forte omissa fuerit, alienus vel plane funestus, qui subinde sequitur, effectus, neglectae vel omissae Venae-sectioni in solidum sit adscribendus? Ad quam quidem quaestionem respondisse sufficeret, innumeros variolis

variolis correptos patientes, tam infantes quam adul-  
tos, sine *phlebotomiae* administratione, salem nostris in  
regionibus, affectus variolaceos feliciter superasse:  
Unde inferri liceret, tantae, uti praetenditur, necessi-  
tatis sanguinis missione non esse: Scio tamen, aliter  
sentire medicos Gallos atque Hispanos, provocantes  
quippe ad crebram ab ipsis institutam experientiam,  
qua constare adserunt, beneficio VSIONIS orgasmum  
humorum non solum egregie contemperari &  
anxietates praecordiales imminui, sed & ipsam va-  
riolaceae materiae excretionem expeditius succe-  
dere, & ad quietiorem statum reduci patientes.

## §. XIX.

Inter medicos Gallicae nationis *Riberium*  
nominamus, qui rem tanti momenti *simpliciter* diri-  
mere ausus non est, sed inter variolas *malignas*  
atque *benignas*, provide distinxit. In *illis* V.S. usque  
adeo necessariam esse judicat, ut tenellulam etiam  
puerorum aetatem illam non impedire existimet.  
Imo, quotienscumque febribus perseverare intensam,  
vel delirium aliudve grave symptoma urgere ani-  
madvertit, totiens ejus repetitionem fvatet, aegros-  
que ut febri continua putrida laborantes vult esse  
tractandos: In *bis* vero, sangvine in ebullitione tan-  
tum depuratoria constituto & exanthematibus va-  
riolaceis cum febris reliquorumque symptomatum  
remissione sine ulla tergiversatione erumpentibus,  
satius esse putat, totum negotium naturae commit-  
tere. Ac proinde sponte agnoscit, tali in specie vari-  
olarum V.S. nullo modo necessariam esse, cum, quod  
paullo

paulo ante ipsimet allegavimus, experientia innumeris plane exemplis doceat, infinitos pueros, benignioribus variolis laborantes, nec plethora nimium praegravatos, sine sanguinis missione esse restitutos: Quin dicto in casu aliquando plane noxam inferre posse, liberaliter concedit: Quia si, ut ipse ratiocinatur, levior fuerit sanguinis ebullitio & ad praestandam variolarum expulsionem insufficiens, metuendum, ne, deplectione facta, magis imminuat: At vero, si, eruptione variolarum peracta, febris nihilominus intenſior, anxietas, spirandi difficultas aliaque graviora symptomata conspicienda, seſe praebeant, signum esse credit, naturam nimio humorum onere premi, eosque convenienter regere non posse, atque adeo V. S. necessariam esse, concludit, ut aliqua portione detracta, reliquum facilius expelli queat. Imo ulterius suo ratiocinio progreditur *Riverius*, atque, si forte tempus *phlebotomiae* idoneum jam transiſſe videatur medico, cū curbitulas scarificatas, dorſo, ſcapulis & femoribus admovendas commendat, & hanc singularem inde praerogativam pollicetur, quod motus naturae spontanei, qui a centro ad peripheriam tenderent, mififice per eas adjuvarentur.

### §. XX.

Quanquam autem hoc *Riverii* aliorumque medicorum Gallorum ratiocinium merito ſuo loco relinquamus: Juvabit tamen, ad indolem constitutio-  
nis epidemicae ſimul ſedulo attendiſſe, quae quippe, ut ex observationibus *Sydenhamianis* clare liquet,  
C singu-

singulis fere annis mirifice variare solet: Adeo ut subinde humorum orgasmus ipsaque conjuncta symptomata sic satis mitia; Alio vero tempore effera-  
tior idem & symptomata graviora deprehendantur,  
ubi id insuper peculiari animadversione non est  
indignum, quod intuitu ipsorum quoque subjectorum  
ac temperamentorum ingens obseretur di-  
versitas, quatenus in his sub una eademque consti-  
tutione epidemica ordinaria ac mitiora, in aliis ve-  
ro extraordinaria & graviora symptomata obser-  
vantur, quae singulari quoque agendi modo se-  
manifestant, suumque malignum morem eo ipso  
satis produnt. Ut proinde ad quaestione, quam  
agitamus, solide decidendam, non solum ad curata  
*Practicas* observatione, sed & prudenti collectione  
& judicio, ante omnia perita subjectorum discretio-  
ne opus sit, quo determinari tandem citra errorem  
possit, an V.S. necessaria sit, nec ne?

## §. XXI.

Ponamus autem, ex circumstantiis patere, ab-  
solute quidem necessariam non esse sanguinis missi-  
onem, quaestio tamen manet, annon saltem emi-  
nenter utilis judicanda sit? Nihil quidem hic haesi-  
tamus, dummodo habiles termini supponantur.  
Esto, juvenem florida in aetate constitutum, san-  
guineum atque plethoricum conqueri coepisse de  
symptomatibus, quibus variolae imminentes desi-  
gnari Practicis solent, observari insuper in illo ingen-  
tem humorum orgasmum & convulsiones plane-  
epilepticas aliaque fontica mala; Ecquis dubitet,  
V.S. hic

V.S. hic fore proficuum? Certum enim est, remota  
plethora felicius successurum totum excretionis  
negotium, &, orgasmo humorum sedato, ad paci-  
tiorem quoque statum reversurum esse patientem.

## §. XXII.

Quod circumstantiam aetatis concernit, nihil  
quidem hic tergiversantur *Galli*, *Hippani*, *Itali* aliarum-  
que calidiorum regionum medici, sed in adultiori  
pariter ac juniori aetate V.S. administrari jubent:  
Germani vero paulo scrupulosiores sunt, &, cum-  
ne quidem in adultis, qui tamen ut plurimum gra-  
vius variolis laborant, V.S. probent, tanto minus  
persuaderi sibi patiuntur, ut in infantibus, pueris &  
adolescentulis eandem admittant. *Riverius* refert,  
in *Gallia* usu usque adeo invaluisse *phlebotomiam*, ut  
*Parisenses* medici in tenella etiam aetate ab illa non  
abstineant, imo ne puerulis quidem lac fugentibus  
parcant: Quam summam tamen temeritatem tan-  
tum abest, ut in popularibus suis calculo suo prober,  
ut potius ceu novam & insolitam licentiam inter-  
pretetur. Nihilo secius tamen in paulo grandioribus  
non solum in principio variolarum eandem locum  
habere posse, concedit, sed & post earundem eru-  
ptionem repetendam esse jubet, si nempe febris  
fuerit intensior, delirium vel aliud gravius sympto-  
ma illam urgeat & expostulet. Nec forte Practicis  
Germanis sine sufficientibus rationibus exprobavit,  
quod a Venaefectione in pueris indiscriminatim absti-  
neant: Cum post largas narium haemorrhagias va-  
riolas longe felicius efflorescere suamque periodum

C 2

sine

sine fonticis malis vel incommodis decurrere obser-  
vemus; Ut adeo prudentiae Germanorum Medico-  
rum commendemus & perpendendum relinquam-  
us, annon diligentius eidem, habita tamen pae-  
sentium circumstantiarum ratione, incumbendum  
fit? At metuunt illi judicia vulgi, & inprimis ani-  
cularum, quae de medicis eorumque curationibus  
effutire solent, quicquid in buccam venit; Respon-  
deo: Bonam existimationem ab opinione & judicio  
vulgi non dependere: Quod si conscientiam suam  
salvam integrumque servare studuerit, non est, quod  
calumnias vulgi multum moretur.

## §. XXIII.

Diversitas *subjectorum* ratione habitus corporis,  
temperamenti & plethoricae inprimis constitutionis  
non postremum hoc in scrutinio locum sibi vin-  
dicit: In eo enim mirabiliter inter se mutuo con-  
sentiant Prætici, quod subiecta habitiora atque car-  
nosiora, in quibus temperamentum ita dictum  
sanguineum idque cum plethora conjunctum praé-  
dominatur, variolis laborantia V.S. optime ferant:  
Quia, deplectione facta, universus corporis habitus  
laxatur, variolarumque excretio facilior redditur.  
Idque sic se habere, jam antiquissimi Medici agno-  
vere. Inter Arabes *Avicenna* huic indicationi (ple-  
thoræ) tantum tribuit, ut curationis variolarum i-  
nitium a *phlebotomia* faciendum esse existimet. Illis  
autem procedentibus, post tertium nempe vel quar-  
tum diem, vult, esse abstinentum: Quia metuit, ne  
repellatur & convertatur id, quod processit, nisi forte *vehe-*  
*mentia*

*mentia repletionis*, i. e. *plethora praegravans* vel in orgasmum deducta inveniatur. Neque vero V. S. scopo tantum evacuatorio susceptam calculo suo probat, sed singularem plane efficaciam sectioni venae narium tribuit: Fluxum enim sanguinis inde suscitatum, credit, multum conferre, ut partes superiores a maliitia variolarum defendantur. *Trincavello* in teneriori aetate eam solum ob rationem V. S. probata non fuit, quod praeter omnem rationem fieri videatur, cum in infantili vel puerili aetate *plethora* raro reperiatur: Quam tamen *Trincavelli* sententiam, experientiae quippe contrariam, non absolute probamus.

## §. XXIV.

Tempus administrandae VSectionis in Variolis quod spectat, non minor Practicorum consensus est, *in principio* tantum, ante illarum eruptionem, non *in augmento*, tanto vero minus *in statu locum* invenire illam posse. Ratio enim, quare in variolis venam secundam esse jubeant Practici, est praeter nimiam sanguinis abundantiam ejusdem orgasmus, febris aliaque, quae facilem earundem eruptionem remorantur, symptomata, quae cum in primis tantum morbi initii observentur, consequens est, hoc tantum, & nullo alio tempore V.S. instituendam esse: Quia hoc maxime tempore vires adhuc constant, ipsaque natura, criseos hujus suscitandae gratia, majori in copia majoriq; vigore sanguinem ad superficiem corporis amandat: Ut hoc modo parte quadam subtracta, reliquum facilius extricari, se-

& excerni possit. Cessante vero *indicante*, ipsum quoque *indicatum* seu remedium cessare necesse est; Suamq; vel inficitiam vel imprudentiam proderet medicus, qui sine indicatione rem tanti momenti susciperet. Post factam vero variolarum eruptionem, organino sanguinis, febri aliisque symptomatibus remittentibus, quid quaeso est, quod V. S. indicet? Quare consultius est, naturam sibi relinquere, quam alienis artificiis eandem turbare vel ad irregulares motus & actus invitare, ut quod semel expulsum fuit, ad retrocessionem temere disponatur. Ut vero nulla regulatam firma est, quae suam non patiatur exceptionem: Ita firmum quidem ratumque manet, post eruptionem exanthematum variolaceorum semel factam a missione sanguinis abstinentum esse, nisi vel retrocessionem minentur, vel nova indicantia eadem efflagitent: Ubitamen prudentiae Prætorum relinquimus ipsisque commendamus, ut inter indicantia & contraindicantia scientificam comparationem instituant, siveque, aequo libramine instituto, quid alteri præponderet, recte aestimari ac dijudicari possit.

### §. XXV.

Unicum, quod *Sydenhamius* adnotavit, circa hanc temporis circumstantiam adhuc discutiendum restitat, scilicet, annon pravorum quorundam consectoriorum gratia, quae post periodum variolarum plenissime absolutam subinde relinquuntur, & patientes vix in tota reliqua vita dereliquere consueverunt, V. S. locum habere non modo posse sed & jure quodam habere debeat? Memoravimus superius,

superius, *Sydenhamium*, quo tamen variolarum, in primis confluentium phaenomena nemo exactius observavit, missionibus sanguinis tam *ante* quam *post* earundem eruptionem parum vel nihil tribuere, imo persuasum potius sibi habere, quod, pro sua explicandi ratione, despumationis negotiorum turbetur atque intervertatur: Proinde talem sanguinis ventilationem longe utiliore esse credit, circa diem vigesimum primum, quando variolae consuetas suas periodos, efflorescentiae, suppurationis & lapsus, plenisime jam absolverunt, & tamen metus adhuc superstet, ne variolosorum sanguis, pleuriticorum sanguini non absimilis, sicuti praeter *Sydenhamium* idem quoque *Baglivus* observavit, post morbum superatum nunc in oculos, nunc in pulmones, nunc alias teneriores in partes decumberet illisque inflammationem induceret. Verum hoc idem adhuc est, quod solidiori Practicorum observationi commendari meretur.

### §. XXVI.

Nunc vero tempestivum esse videtur, ut etiam disquiramus, qua in specie variolarum, venam securi conveniat? Qua de re quid sentiat *Riverius*, ejusque ad exemplum plures alii Medici Galli, superius §. XIX. jam indicavimus. Non licet vero Germanis medicis, eadem audacia indiscriminatim tractari variolosos, regnante in primis constitutione maligna epidemica, ubi pustulas inter variolaceas petechiae hinc inde interspersae cernuntur; Quo in casu, si V.S. temere decerneretur, non injustus retrocessionis metus

metus foret. Quam etiam ob caussam Ampliss. *Tulpius* in maligna illa variolacea constitutione, cuius Observat. Lib. IV. Obs. 52. meminit, VSionis nullam fecit mentionem.

## §. XXVII.

Quo autem in loco quave in regione corporis vena aperienda sit, merito disputari adhuc potest. Non negamus quidem, rem in genere aestimando, electivae VSioni, quatenus in brachiis vel pedibus instituitur, in revellendis vel derivandis humoribus specificam competere efficaciam; Facile quoque largimur, VSionem in pedibus variolosorum institutam insigni pollere vi, materiam variolaceam à partibus superioribus avocandi, caput faciemque praeservandi & aliorum invitandi: An vero experimentum hoc omni ex parte securum sit, foemellis licet venustatis studiosis admodum optabile, merito dubitamus. Integrum vero nobis sit, exemplum practicum, majoris illustrationis gratia, allegare, quod etiam ne quid dissimulemus, tori dissertationi scribendae ansam dedit, quodque cum omnibus suis circumstantiis hic in chartam conjiciam, sicuti novellae publicae universam morbi historiam nobis retulere; A criticis tamen observationibus, quae magno quidem numero institui facile possent, de- dita opera mihi temperaturus.

## §. XXVIII.

Rex Hispaniae, Ludovicus I. die decimo quinto Augusti male quidem se habere coepit, orthostadiam tamen utcunque servavit, cumque morbus ejus primo invasionis tempore aequivocis stipatus esset symptomatibus, variis medicorum judiciis ansam dedit, ut alii prosperum, alii fatalem successum & eventum augurarentur. Die 18. ejusdem mensis ex venatione reversus de dolore capitis cum quadam ventriculi gravitate conquestus est, quae tamen symptomata die 19. augmenta cepere. Die 20. febri sive corruptus, quae et si nihil eminentis periculi medentibus portendere videretur, domi tamen se continuat ac medicamentum sumpfit. Die 21. febris aucta, & hora septima matutina, cum certa variolarum indicia sese proderent, consultum judicarunt, ut capilli detonderentur & V. S. in pede institueretur, quae etiam suo non caruisse dicitur effectu, dum versus horam undecimam vespertinam magna quidem in copia erumpere coeperunt variolae, sed, quod merito mirare, omnique animadversione dignum est, non nisi ab umbilico usque ad pedes, ut circa collum & oculos nihil earum compareret, frons vero & caput variolis tecta essent, facie prorsus immuni ac libera. Diebus in sequentibus 22. & 23. variolarum eruptio continuavit, ut die 25. magna febris remissio fuerit observata & paullo melius Rex sese habere visus sit. Die 26. febris duplo majora cepit incrementa, ut vel ideo male ominari coepissent medici, in primis cum die 28. versus undecimam paroxysmus febrilis priori

D

longe

longe violentior Regem invaderet. Cumque ex pallore atque detumescensia pustularum variolacearum recte conjicerent, humores retrocessisse insuperque ventrem inflari animadverterent, quod illi ab inflammatione partium internarum dependere crediderunt, iterum VSionem (hoc morbi statu) suauerunt, quae, et si aliqualem febris remissionem primo intuitu post se traxisse visa fuerit, dimidia tamen hora post variolae omnino disparuere, eoque ipso omnis recuperandae valetudinis spes decollavit. Praeditio[n]em medicorum eventus prohdolor comprobavit, ac circa vesperam diei 31. coepit agonizare, eademque nocte anno aetatis suaec decimo octavo placide exspiravit ingensque sui desiderium post se reliquit optimus Princeps. Die 1. Septembris corpus mortui Regis apertum & in abdomine praeter hepar & lienem ipsa quoque intestina, in thorace pulmones, in supremo vero ventre ipsum quoque cerebrum una cum meningibus gangraena adfectum fuit conspectum. Causa mortis rejecta fuit in nimium solis ardorem, qui cerebrum nimium exsiccaverit & quasi combusserit. Tanta enim erat indulgentissimi Principis modestia, ut capite semper nudo incederet, illudque radiis solis libere expositum haberet; Quasi vero variolatum retrocessio, eamque secuta principaliorum viscerum inflammatio, gangraena & sphacelus caussam manifestiore non subministraret, a qua funestus morbi exitus longe evidentius derivari posset: Verum promissi mei memor, ab omni cribrazione provide abstineo, contentus, historiam morbi graphice delineasse.

§. XXIX

Quare ad ultimam, quae discutienda restat, circumstantiam me converto: Quia nempe in quantitate sanguinem mittere conveniat, si quae ventilatio in variolis utilis vel necessaria judicetur? Scendum vero est, non posse hanc quaestione*in genere* decidi, sed periti ac prudentis medici iudicio absolute relinquendum esse, qui pro scientia & conscientia sua determinabit, quid plethorae, temperamenti, virium, aetatis, individualis aegri constitutionis aliarumque circumstantiarum respectu consultum ipsi videatur? Est tamen moribus gentium atque consuetudini hic aliquid quoque tribuendum; Galli enim & Hispani repetitas amant Venaesctiones, sed parciores: Germani unica, sed largiori sunt contenti. Varium quoque variolarum tempus considerandum est: Ante eruptionem enim earundem largiorem, post illam vero, parciorem esse oportet.

## §. XXX.

Haec vero omnia, si tandem unam in summam colligantur, peritus Practicus facile agnosceret, quid de *usu* pariter atque *abusu* *Vectionis* in variolis sentendum sit? Quod si ergo, variolis epidemice grassantibus, subjectum occurrat florida in aetate constitutum, sanguinei temperamenti, in quo solita phaenomena, quae earundem eruptionem alias praecedere vel comitari consueverunt, observentur, idq; eminenter plethoricum sit, in orgasmno humorum ac vehementi aestu constitutum, in quo crisi quidem moliatur natura, sed imperfectam, maculis quippe variolaceis modo in superficie cutis adparentibus, modo vero disparentibus, quin totalem retrocessio-

nem comminantibus, ac proinde angina, pleuritis vel peripnevmonia vel aliarum internarum partium inflammations indiciis haud obscuris sese prodant, vel, postquam variolae effloruere, febris constanti tenore continuet, vel, etiamsi quodammodo remiserit, novo tamen vigore recurrat, siveque angvem sub herba (citra manifestam tamen malignitatis notam) latere significetur, atque adeo pleraque VSionis indicantia sint praefentia, non sane adparet, quid impedit, quo minus phlebotomia in usum vocari possit; Inprimis cum, ut superius satis evictum est, ratio non contradicat, experientia suffragetur, & ipsa denique Natura, haemorrhagiam narium spontaneam suscitando, viam subinde niedentibus praemonstret.

## §. XXXI.

Ex adverso nullum quoque dubium est, quin ingentibus quoque abusibus expositum sit generosum alias remedium, si vel ad indications nullus habeatur respectus, vel indiscriminatum, nulla plethora, aetatis, temperamenti, habitus corporis aliarumque circumstantiarum ratione habita, in usum vocatur, vel nulla plane suscipienda VSionis utilitas, vel necessitas adsit, si vires obseruentur imbecilles, pulsus frequens, celer ac debilis, si sub maligna epidemica constitutione maculae petechiales hinc inde variolis interspersae sint &c. Quibus omnibus in casibus VSionem nocere magis quam prodesse unusquisque facile intelligit. Ut vero nimia quan-  
doque temeritate; Sic & contraria timidi-  
tate peccari haud raro solet.

F I N I S.

Jam Tua puniceo cingit diamate Pallas  
 Tempora Galenus jam Tibi monstrat  
 opes,  
 Ac apicem summum, summi concendis ho-  
 noris  
 Teq; coronatum Daphnide quisq; videt.  
 Gratulor ergo Tibi, mi dilectissime Amice,  
 Corde calente precans: Hic bene vergat  
 honos.

Hisce Prænobilissimo atq; Clarissimo  
 Domino Doctorando, Fautori atq;  
 Amico honoratissimo, de summis  
 in Medicina honoribus brevi capes-  
 sendis gratulari voluit, debuit

Renatus Gottfried Reichwitz.  
 Laubâ Lusat.

Nuper Parnassum ascendit doctus Apollo,  
 Causam pro rostris commémorare volens.  
 Mox erat hunc sectata cohors Heliconia Phœbi.  
 Ut disceptarent jurgia tanta probe,  
 Pegasus hoc factò statuere per auras,  
 Nunciet ut primas res novitate palam.  
 Junior his, inquit, Medicus tamen arte peritus,  
 Intererat, pugnans corde tremente minus  
 Quis vero ausus erat pugnam & certamina ferre,  
 Hostibus haud placidis sed potius furiis?  
 Namq; ligans aderat Medicis sit dicta Podagra,  
 Nec Quartana minus tam furibunda febris.

Insu.

Insuper extollens hydrops sua turgida membra,  
 Viribus ut junctis excrucient medicum.  
 Ast quum protulerint varias, quas nescio, rixas,  
 Praes composit plurima dissidia,  
 Dicendo Medico: Tua nunc bona causa triumphat  
 Hostibus eripiam martia tela, tuis.  
 Si multis verbis tandem quæsiveris ex me,  
 Cui votum dederit, Cynthia ipse suum.  
 Omnia Te tangent hæc, inquam, dulcis Amice,  
 Atque Tuus Studiis victor abire potes.  
 Vive proin felix per longos Nestoris annos,  
 Artibus, ut sanes langvida membra, Tuis.

*His paucis, sincera mente manuq; ad-  
 jectis, Doctiss. Domino Dottorando,  
 gratulari voluit.*

C. A. a Bergen, Med. Stud.

**D**ein sehr berühmter Fleiß, und die Gelehrsamkeit,  
 Macht, daß Hygea dich will mit dem Purpur zieren;  
 Sie hat den Doctor Hut schon länaß vor dich bereit/  
 Drum wird er bald mit recht Dein kluges Haupt berühren;  
 Es wünscht dein treuer Freund, daß Dich der neue Stand/  
 In nichts als lauter Lust, und in Vergnügen seze/  
 Dich seegne allezeit des Hochsten Arztes Hand/  
 Dasß Deine Wissenschaft viel lechzende ergöze.

Seine Schuligkeit zudezenget, setzte dieses seinen  
 werthen Freunde zum Geneigten Andenken.

E. L. Evenius, L.L. Stud.

Frankfurt a.O., 2. Jhd., 1725-27





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

### Farbkarte #13



OLEMNIS MEDICA  
DE  
**ABUSU**  
**OTOMIAE**  
**RIOLIS,**  
QUAM  
VIADRINA  
CULTATIS MEDICAE  
ENSENSU  
AESIDIO  
S MAGNIFICI  
OTTOMARI  
LICKE,  
ACULTATIS PROF. PUBL.  
t. DECANI,  
MOTORIS SUI OMNI OBSER-  
TU PROSEQUENDI  
DOCTORALI  
PESSENDO  
ORIO MAJORI  
T POMERIDIANIS  
Ann. M. D. C. C. XXV.  
rorum disquisitioni  
subjicit  
**EDUS BEHR,**  
sis Marchicus.  
Litteris TOBIÆ SCHWARTZII.

1725, 1